



CLEMENS, huius nominis Papa septimus, Adriano supradicto in Pontificatu successit anno mundi 5484. à Christo nato 1522. Hic antea Iulius vocabatur, sed Cardinalium quorundam suasu, Clementis nomen assumpsit. Fuit Leo decimus huic patruelis. Dicitur Clemens fauisse Francorum Regi Francisco etiam capto, aduersus Cæsarem Carolum: ideòq; Romã ab exercitu Cæsaris, cui præerat Carolus Borbonius, direptã ac expilatam, nihilominus tamen ab hoc coronã accepit Carolus imperialem, præterea sacram vnctionem. fuit rarissimi ac callidissimi ingenij. Francisci Valesij partes iterum secutus, ad Mafsiliam cum eo conuenit, in itumq; est matrimonium proneptis suæ Catharinæ Laurentij Medices Ducis Vrbinatis filia, cum Henrico Duce Aurelianense, nunc autem Francorum Rege. Florẽtiam urbem patriam obsedit, quam post annum obsidionis cepit: Ducemq; in ea constituit Alexãdram Medices, prædicti Laurentij Medices filium naturalem. Aiunt prouocatum à Florentinis id bellum gessisse, qui in cognatos ac necessarios huius Clementis infesti essent, atq; etiam in ipsum Pontificem infensi: vitio tamen illi interim vertitur, quòd in patriam ita sauerit, quam etiam velut sub iugum miserit. sedit annis 12. Vide Iouium, Supplem. Chro. & Platinam.

ODETVS de Foix, dictus Lautretius, Mediolani sub Francisco Valesio præfectus, deinde exercitus Gallici in Italia Dux, Papiã & Alexãdriã expugnauit: Neapolim exercitũ duxit: quòdũ tẽderet, Clementi, quẽ Aurasiẽsis Princeps sub custodia tenebat, opẽ attulit: Porrò vbi Neapolim peruenit, arridẽtis fortunæ occasionẽ captare nesciuit: nã cominus si urbem aggressus esset, hãc facilẽ cepisset: sed interim dum eminus nimis cunctatur, Neapolis auxiliares Hispanos milites recipit. tãdem tum ob aeris intemperantiam, tum ob aquas veneno infectas cum multis aliis Gallorũ primoribus periit an. D. 1528. Vide Suppl. & Iouium.